Handschrift

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36453
Copyright: Melk, Benediktinerstift

quia ego vobiscum sum. et preterit peruenimus in uarim
ciuitatem ad terminum xx dierum. Hac consolacione letificatis
accessit etiam de alia re mirabili testimonium reppicia-
ti confessoris. Quedam enim auicula uisa est aduenisse dum
nauigaret per pelagus et consedisse in dextro temone na-
uis que sanctum portabat corpus. ac deinde dexteram manum
illius qui temonem regebat eidem quasi domestica
ascendisse. postea autem sacrum corpus dulcis uocis
obsequio salutasse leniter etiam attingens cum rostro
suo. quasi deosculando segetem illam in qua sancte reposi-
te erant reliquie. Sed postquam uentum est in portum
sancti Georgii martiris christi. quatuor distantem miliariis
a uarensi urbe construxerunt clepsidam. in qua sanctum posue-
runt corpus amouentes illud a predicta segete. Cum autem
applicuisset ad portum sue ciuitatis. et auditum esset
atque celebri sermone uulgatum. aduenisse reliquias
beati Nicolai confessoris. fit concursus populi inenarrabili gau-
dio tripudiantibus super aduentu tanti pastoris. et cleri-
ci sacris induti uestibus conuenerunt ad suscipiendum beatum
corpus prosequentes illud ymnis et laudibus.
Interea naucleri simul et naute mandabant ciuibus
suis per legacionis officium dicentes se uoto constrinx-
isse ~~ecclesiam ubi est ecclesia~~ apud beatum Nicolaum ut
conderet ei dignam ecclesiam in curti ubi est ecclesia
Eustacii martiris christi. rogare autem in caritate christi.
ut sic essent unius ciuitatis iure ac federe coniuncti-
ta etiam existerent in destinati operis sentencia consociati
Quo audito grandis inter omnes orta est dissensio. aliis //contra
quidem laudantibus sponsionem eorum aliis non iudicantibus
dignum fore tantum pastorem deferri ad episcopium. Sic